DE LARIDO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU et AUCTORITATE
MAGN. D. PRAESIDIS ET DIRECTORIS
SPECTABILIS D. DECANI
NEC NON
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM
REGIAE UNIVERSITATIS PESTINENSIS
AD RITE CONSEQUENDUM
DOCTORIS MEDICINAE GRADUM
PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI
SUBMITTIT

HYACINTHUS ANDR. SILVESTRI
ITALUS-MEDIOLANENSIS.

Theses adnexae publice defendentur in palatio Universitatis majori die Mensis 1843

PESTINI.
TYPIS JOSEPHI BEIMEL.

Patri Optimo.

Gratissimus Filius.

Novitates, si spem adferant ut tanquam in herbis non fallacibus fructus adpareant, non sunt repudiandae, vetustas vero suo loco conservanda est.

Cicero.

PROEMIUM.

Inter morbos qui tum frequentia, tum pertinacia qua saeviunt, medicorum attentionem quam maxime sibi vindicant, Scrophulosim, Rachitidem et Phtysim primum tenere locum censeo. Cum ob obscuritatem eorum geneseos, curae radicalis principia sat firma non sint, varia omni aevo proponebantur remedi quorum effectus vel expectationi medicorum non sponderunt, vel non semper fuerunt constant et fortuita individuali practicorum empiria, poti uam scientifica medica experientia commendata leban-

tur: ideo quamvis interdum nominibus auctoritate plenis insignita, parum fidei inspiraverunt. Quotiescumque igitur nova proponuntur, examini sunt subjicienda; et quo facilior eorum comparatio et administratio et quo minor de noxa suspicio, eo magis eorum cognitio promulgari meretur. His devictus lardum jam a Pophen, et aliis contra dictos morbos propositum breviter perscrutabor.

De Larido.

Sus Scrofa Linnaei largitur adipem duplicis ordinis. Mollior mox infra cutim haerens *laridum* dicitur. Solidior in vicinia costarum, intestinorum, renum reperitur, qui eliquatus *axungia* nuncupatur. De priore nempe larido tractandum proposui; partim quia id frequentissime a medicis in usum vocatur, partim quia hac sub forma diutissime quin corrumperetur, servari potest. Ordinem eum sequar ut praemissis nosographicis, chemicam ejus indolem, dein pharmacodynamiam ac ultimo morbos contra quos praecipue ac methodum qua applicatur, explanare conabor.

Nosographia.

Laridum pro diversitate non tantum animalium, sed praeprimis alimentorum etiam quibus saginabantur, haec enim in indolem ipsius magnum influxum habent, diversum est: ita ut laridum suis glandibus Quercus saginatae sit saporis gratissimi et consistentiae majoris ac animalium aliis alimentis pastorum: hoc insequitur, praestantiae gradu spectato, laridum animalis Zea mais, dein secali, sic solano tuberoso saginati. Non secus magnam infert diversitatem ipsa manipulatio, cui laridum animalis mactati subjicitur in qualitatem ejus. Sic moris est in nonnullis regionibus laridum sale conditum, sal enim putridam fermentationem organicorum arcet, in loco aeris atmosphaerici tractili suspendere, ut hac ratione a liquido aquoso liberatum conservabilius reddatur; vel ut in locis aliis fit, laridum sale conditum fumo frigido exponitur, ac dein vasis mundis reclusum asservatur. Methodus

posterior praeplacet: laridum enim priore modo tractatum a fumi partibus nonnullis ingratis liberum quidem est: ast calidiore subveniente anni tempore sat cito rancidum fit; virtute sua simul mutata usui interno nimis nauseosum evadit — Posteriore modo tractatum, in superficie sua a fumi partibus quidem inquinatum est, ast rescissis partibus his reliquum optimae indolis est. Hoc quoque inter praerogativas ejus adduci meretur quod per annum et ultra quin rancescat, servari potest. Nec mirum quod infumatio simplici siccationi praeferatur: si suspendatur enim in camino, ubi tractus aeris summus, exsiccatio hac ratione et perfectior et celerior obtinet: praeterea partes nonnullae fumi ut acidum pyrolignosum, creosotum, carbo sunt totidem causae degenerationem ejus putridam arcentes.

Laridum bonae indolis sit album, solidum, odoris grati animalis, saporis amoeni non rancidi: assatum fundat sat magnam quantitatem adipis liquidi, remanente parte alia exigua, molli, sapida.

Adeps constat globulis lucem potenter refringentibus diversae magnitudinis; diameter globulorum variat inter vigesimam secundam et centesimam lineae partem. Globuli hi numero diverso circumdantur membrana tenui cellulam formante. Cellulae adiposae in textu celluloso sparsae reperiuntur, quarum major aut minor numerus nucleum aut glomerulum constituit, textu celluloso ut capsula circumdatum.

Magnitudo glomerulorum in diversis locis diversa —

De Genesi adipis diversae sunt sententiae prolatae. Malpighi et alii Phisiologi post eum adserunt, tali secretioni organa peculiaria et quidem glandulas sui generis praeesse; sed verosimile est secretionem adipis eodem perfici modo, quo transudatio vel exhalatio lymphae in cavis quibusdam contingit. Celeritas qua elaboratur et secernitur adeps in nonnullis animalibus novum est argumentum pro simplicitate hujus operationis. Et quidem saginatio nutrimentis talibus instituta e. g. Solano tuberoso, Zea Mais, hordeo, secali, quae praeformatas substantias pingues nullas tenent, demonstrat, per processum vitalem e partibus constitutivis adipem generari, generatum endosmosi ac exosmosi mediante in textum cellulosum deponi. Ex assumtis alimentis nempe in liquida corporis animalis in quibus omnibus reperitur, transit et ex illis in textum cellulo-

sum deponitur, vasa lymphatica porro superfluum adipem ex adiposa membrana iterum resorbent, ejusque copiam inter limites determinatos ab energia vasorum lympathicorum et ab indole temperamenti individualis dependentes, retinent.

Quoad obesitatis causam Beddoes eam defectui oxygenii in organismo adscribit. Evolutionem ac augmentum adipis procurant omnia corpora quae materiarum plasticarum elaborationem altioris gradus impediunt: ideo sui scrophae tempore saginationis, dum non ex voto pinguescit, propinatur antimonium crudum cujus virtus metamorphosim progredientem retardans abunde noscitur. Demonstrat id adipem esse materiam organicam ad altius organisationis culmen nequaquam evolutam. Quoad illius functionem organicam in genere textus cellulosus subcutaneus adipe refertus favet mobilitati cutis super partes infrasitas. Bichat Bordeu et alii Physiologi Electricistae textum cellularem una cum humore a quo humectatur pro specie atmosphaerae fluidum electricum coërcentis habent.

Partes constitutivae.

Constat adeps juxta Braconnot 62 Elainae 38 stearinae et Margarinae; secundum Liebig $C^{70}\ H^{154}\ O^{5} + C^{6}\ H^{14}\ O^{5} + 2$ Aq. Carbonii 79, 21, Hydrogenii 12,18 Oxigenii 11.62 Juxta Chemicum eundem pro acido composito (prout id in aetheribus compositis obtinet) nempe stearico-glicerico et elaico-glicerico habendum.

Lecanu adipem ut salem considerat declarans esse stearatem Glycerinae et Eleatem Glycerinae: glycerinam itaque baseos vices obire.

Chevreul tres fundamentales partes constitutivas in adipe reperit nempe Elainam, Stearinam et Margarinam, praeterea tenet substantiam bilim redolentem, aliam flavo colore tingentem, chloretum Natrii et acetatem Natricum. Gravitas specifica est o, 398. jungitur sulphuri, phosphoro, resinis, gummoresinis, camphorae, acido arsenoso et oxydis plumbi.

Partes constitutivae supra dictae differunt inter se forma praecipue et consistentia ita ut *stearina* sit consistentiae maximae; occurrit enim in frustis texturae crystallinae, friabilibus, albis, spermati ceti non absimilibus. Substantia haec

in adipe suillo minima continetur quantitate. Quantitas *Margarinae* jam major est: haec difficillime sistitur pura; tantum iterata in alcohole fervido solutione et refrigatione obtinetur: substantia est pellucida, texturae crystallinae, mollis tamen, minori ac prior funditur gradu. *Elaina* maxima adest in adipe suillo quantitate, haec liquida est jam in consueta temperatura, imo nec alto frigore facile densanda, omnes qualitates olei pinguis habens. Substantiae hae corporibus pinguibus sunt valde analogae, inodorae, saporis blandi, in charta maculam pinguem relinquunt, quae altiore temperatura non disparet, sunt inflammabiles, aqua specifice leviores, ei itaque innatant. cumque ea mucilaginis auxilio tantum miscentur Alcohole frigido parum, facilius calido, facillime in aethere et oleó aethereo solubiles. Aeri atmosphoerico longiori tempore expositae fiunt rancidae, saporem tunc acrem, odorem proprium ingratum nanciscuntur, consistentiam et colorem mutant, A-rancidítate hac per magnesiam ustam bene possunt liberari: indicium acidum sui generis in rancida adipe esse evolutum. Cum alcalibus causticis uniones ineunt sapones constituendo. Destillationi siccae subiecta adeps suilla largitur-acidum margaricum, acidum stearicum, oleum volatile olidum, oleum empireumaticum, substantiam volatilem in aqua solubilem non acide reagentem quam Berzelius pro acido Benzoico adipinexo habet. E liquatione laridi conscissi, textusque cellulosi, adipe referti, cum aqua ne aduratur, obtinetur axungia porci. Aqua tamen subsequa evaporatione fugetur necesse est. Habet adeps sic obtenta consistentiam unguenti, granosam texturam, colorem album, inter digitos liquatur: sit recens, servetur in vasis figulinis aut ligneis mundis, minime vero in cupreis aut aurichalceis, ab his enim inquinari, colorem viridem ac indolem venenatam acquirere potest.

Pinguedo aliorum animalium differt tum partium constitutivarum diversa proportione et hinc derivanda majore aut minore consistentia et fusibilitate, tum praesentia talium partium, quae in adipe suilla non reperiuntur. In affinitate animalium fundata quoque est similitudo pinguedinum: ita ut animalia ad eandem classem pertinentia multum analogam offerant pinquedinem: sic e. g. hominis et ad classem rapacium pertinentium adeps mollis est, hancque axungiam vo-

camus: sic adeps pecorum ob majorem quantitatem stearinae solidus est, eumque sebum nominamus: sic amphibiorum, piscium fluidus oleum plerumque dicitur.

Parmacodynamia

Virtutem laridi si consideraveris, haec praeterquam quod nutriens sit penetrat tum affinitate chemica, tum calore ac endosmosi adjutoria poros organismi: macerat, emollit, relaxat cohaesionem atomorum, lubricat fibram membranarum ac resarcitur defectum similium partium constitutivarum tum in fluidis tum in solidis organismi partibus. Proximus effectus remedii hujus initio tantum ut topicus semet prodit, interim quo facilius systhema dermaticum et tubum intestinalem permeat in textum organicum quin assimiletur, et quo proprius accedit qualitate sua partibus organismi, quin assimilatione egeat, eo facilius transit effectus topicus in universalem quem partim in systemate vasorum partim in organis secretoriis (pulmonibus, renibus etc.) observare licet. Hinc eidem virtus nutriens, involvens, lubricans leniens competit. Exerit vero virtutem hanc primarie in fibram statu irritato constitutam ventriculi et intestinorum in membranas mucosas tubi intestinalis, cum his enim organis in immediatum venit contactum; hinc propagat effectum in organa vicina, universumque organismum. Inflammatoriam ac spasticam adfectionem fibrae tum muscularis tum nerveae virtute sua eniente emolliente exvoto solvit, substantias acres in membranas tubi intestinalis agentes optime involvit. Dosi majore virtute emolliente lubricante in leniter purgans abit remedium, quod in statu inflammatorio tubi intestinalis ac organorum uropoeticorum per nullum aliud purgans potest suppleri. Adauget adipis in corpore humano secretionem. Abundantia partium phlogisticarum functionem hepatis impellit.

Si aciditas primarum viarum praesens esset, aut saburra aut languens digestio tum haec prius obtundenda, evacuanda, corrigenda erunt, antequam ad usum internum laridi accedamus: secus enim saburram rancidam provocabit, ac pyrosim

ensum pressionis, vomituritionem vomitum, cardiagiam colicam et diarrhoeam inducet. Cum pinguedo praecipue spissior ab organis digerentibus difficilius subigatur eamque relaxet, rancore quoque quem facile adducit male adficiat, non conducit infantibus, nec hominibus temperamenti phlegmatici. Indicatur itaque:

1-o In siccitate partium organismi ut sequela imminutae secretionis.

2-o In aucta cohaesione partium solidarum, ac hinc ortum ducentibus turbis, duritie, induratione, fragilitate rigiditate, concretione etc.

3-o *In* tumore organorum ac hinc lumine cavorum angustato, in incarceratione, intussusceptione.

4-o In statu organorum irritato per stimulos mechanicos, (attritum, pulveres) vel chemicos (caustica,) per secreta acria, vel si epidermis organa contra influxus noxios tuens, deficiat. Ideo in gastritide ubi emetica dari non possunt, in cardialgia, colica, tenesmo, herpete.

5-o In adaucta tensione fibrae organicae quamvis originis dynamicae fuerit: sic spasmo musculorum et statu inflammatorio.

6-o In ea inflammatione praeprimis quae in indurationem aut suppurationem tendit.

7-o Ubi transpiratio cutanea vel et resorbtio coercenda; *) et hinc usus ejus in morbis contagiosis; peste orientali, typho contagioso et exanthematibus contagiosis.

---

*) An etiam ob hanc virtutem qua prophylacticum in Febribus intermittentibus commendandum?

Intermittentes aestivae et *autumnales* ex peculiari diathesi atmosphoerae suum ortum ducunt. Aer clasticus siccus in systemate nervoso certum elasticitatis gradum et tensionem, humidus vero et vaporosus relaxationem et debilitatem fovet; ita quidem ut subinde coenesthesis penitus mutetur et ipsa Psyche patiatur. Hypochondriaci e. g. tempestate humida, Africo furente saepe tristitia corripiuntur. Hoc a turbato aequilibrio inter nervos et arterias repetendum censetur. Relaxatio enim illorum non sat cito nec aequali proportione arteriis communicatur, quarum praevalentiam impune nervi non ferunt. Tali in casu indicatio viget humiditatis aeris in organismo effectum praecavendi, quod tantum per usum substantiarum absorbtionem impedientium fieri potest.

Epidemias febrium characteris inflammatorii excessui electricitatis atmosphoerae adscribendas esset censet Hopf = si autem haec senten-

8-o In pertinaci alvi obstipatione ubi scybala emollienda et lubrica reddenda.

9-o Denique rancidum per evolutum in eo principium acre qua stimulans, resorbtionem resolutionem impellens. Tale adhibetur e. g. ad maculas corneae tollendas.

Praeter hac hic loci adductas indicationes recentiori imprimis tempore usus felix medicus quoque factus in Scrophulosi Rachitide et Phtysi. Ideo in morbis his saepe arti medicinae multum rebellibus, usum laridi paucis illustrabo praemissa brevi cujusvis morbi icone. Cum vero Rachitis nil nisi modificatio scrophuloseos in systhemate osseo radicem figentis sit; ideo hujus descriptionem scrophulosi subjunxi.

Scrophulosis.

Hoc nomine insignitur morbus congenitus vel aetate tenera acquisitus, qui in abnormi processu nutritionis consistit, afficiens primario systhema lymphathicum dein vero quasvis organismi partes, comite heteropepsia, irritatione locali et per infiltrationem materiae peculiaris inducto tumore glandularum in ulteriori progressu crasim sangvinis mutando

tia aliquam veritatem includat quanta non erit utilitas substantiarum pinguium (juxta illos qui adipem constitutam putant ad coercendum fluidum electricum in nervis) ab actione earum coercente (hic potius arcente) deducenda!

Febres biliosas semper sub excessu caloris et electrici epidemice regnasse notum est. An in illis quoque pinguia proderunt? Ratione habita principiorum phlogisticorum praecipue carbonii in his praevalentium, functionem hepatis impellentium ab eorum usu praecipue interno cavendum esse patet. Eo magis quia praevalente acrimonia bilis, quae nonnisi adauctae organi istius functioni adscribenda est, rancida saburra oriri deberet. Quoad usum externum autem audiamus Hofmann: „Nihil magis bilem vitiat eamque impuram et salibus causticis refertam reddit, quam solemnis per superficiem corporis prohibita evacuatio. Quandocumque igitur talis causa in primis viis existit, horrorem, anxietates vomitus et motus febriles parit.“

Oleum eximiam in *Peste* virtutem exercere dubium non est. Haec vero juxta celeberrimum Valli non inde repetenda quod poros cutaneos obturando contagii absorbtionem impediat. Scimus enim vasa lymphatica cupidissime oleum adtrahere, qua propter eo utimur ad substantias medicinales ut hydrargirum etc. celerius et tutius in organismum inferendas. Virtus olei in peste longe alia ratione se habet. Pus pestilentiale cum magna olei quantitate mixtum et iteratis vicibus agitatum venenatam in-

diversos processus et secretiones morbosas generat et vel per immediate restrictam nutritionem organismi (atrophia) vel per depositionem materiae peculiaris dein emolliendae et Phtysim inducentís (Tuberculosis) vel per ulcerationem et laesionem diversimodam partium organismi centralium vitam tollit. Diagnosi ipsius morbi multum opitulatur notio *Habitus scrophulosi* qui ut effectus discrasiae scrophulosae late extensae duplicis formae occurrit duplicem morbi dynamicum characterem indicans. Alia nempe est *scrophulosis florida írritabilis* in individuo plerumque complexus teneri, cum cute tenella, genarum rubore, oculis magnis vividis, labiis amoene rubellis, dentidus albis nitidis capillis flavis mollibus, oculis coeruleis statura procera, mente agili vivace. Quamvis morbus hic frequentius habitum nunc descriptum tenellum infestet nihilominus etiam compagem corporis strictiorem, capillitii, oculorum cutis colore profundiore semet manifestantem non infrequenter molestat ut id in populis non ut in stirpe germanica proles rutilas generante observare licet. Alia est *scrophulosis torpida seu lymphathica*, in individuo cum compage corporis flacida, magno praecipue in regione frontali et occipitali evoluto angulato cranio, labiis oris crassis, tumidis revulsis, naso crasso

---

dolem amittit et inoculationi aptum fit. Imo talis miscela ulceri cancroso per linteum carptum adplicita primis 48 horis summam anxietatem excitavit; ulterior tamen adplicatio cum ulcus veneni contactui indifferens evasisset ab aegro pacatissime perferebatur. Virtus olei in peste preservativa ex hoc quoque patet quod non tantum illi qui in fabricis laborant sed etiam qui in earum vicinia habitant fere nunquam peste corripiantur, et correpti facile sanentur.

Pinguia cuti adplicita illam emolliunt et relaxant. Relaxatio autem cutis quo magis exhalationi favet (ut in somno et in stadio sudoris in febribus observare licet) eo magis inhalationem impedit: quae non perficitur nisi data quadam energia et tensione vasculorum lymphaticorum: ob quam reddito libero et recto primo eorum segmento principia ex atmosphoera adtracta illud superant ut dein per reactionem parietum et valvularum ulterius protrudantur. Ob consensum autem inter cutim et renes exspiratione cutanea adaucta vel inspiratione imminuta liquida a renibus divertuntur vel subripiuntur; et e contra exhalatione imminuta vel suppressa (uti sub influxu frigoris) copia lotii adaugetur; et quidem non tantum ratione transpirabilis suppressi vel retenti, quam ratione quantitatis aquae ob tensionem cutis ex aere atmosphoerico adtractae. Pinguibus igitur systhemati dermatico adplicitis, effectum secundarium in organis uropoeticis prodire patet. Hanc ob rationem fors commendavit Celsus *in Diabete* simul cum internis roborantibus praecipue Rheo universam oleosam frictionem?

habitu generatim laxo oedematoso, abdomine inflato, mente tarda segni.

Resultata observationum de hac discrasia consilio institutarum docuere: sanguinem in hoc morbo cruore parco instructum, sero praedominante, defectu fibrinae et globulorum laborare; urinam salibus ditiorem, imprimis phosphatibus abundare, carbonatum autem egenam esse, oririque non raro in urina scrophulosorum praecipitatum (saepissime phosphatis Calcis unde nec rara apud eos Lythiasis. Porro in omnibus secretis et excretis praevalere acidum; generatim conditio se- et excretorum anomala, oedema et tumores, emollitio partium solidarum in ossibus et dentibus praecipue obveniens indicant praedominare processum regredientem in organo-chemismo scrophulosorum.

Decursus scrophulosis. Quamvis morbus hic principaliter in affectione systematis lymphatici radicetur varias induit formas; prouti nempe symptomata morbi in hoc vel illo systemate eminenter se produnt. Ita dum scrophulae eminenter in affecto systemate lymphatico adparent nominantur *scrophulae lympathicae* et quidem *externae*, si in glandulis lymphaticis extra cava corporis sedem figunt. Leviorem earum formam vix advertere licet: cum in aetate puerili non sit rarum videre leves tumores glandularum colli, in specie scrophulam fugacem, quae in sequelam refrigerii cum dolore et febri exigua comparere solet, indicio ejus quanta in morbos hac aetate systema lymphathicu dispositione laboret. Dum scrophulae lymphaticae glandulas ntra cava corporis contentas invadunt nomine *scrophularum lymphaticarum internarum* veniunt. Saepe Scrophulosis eminenter afficit membranas mucosas *Scrophulae blenorrhoicae.*

Rachitis.

Devastat porro Scrophulosis saepius ossa in forma *Rachitidis* cujus praecipua symptomata praeter ea generatim de scrophulosi jam descripta sunt; infantes tarde et lente se valent erigere atque incedere: apophyses ossium intumescunt, frequentissime ad carpum unde articulationes tumidae et quasi duplicatae tanguntur. Morbo ultro procedente, cur-

vantur ossa longa = tibia, sternum, costae (unde respiratio difficilis evadit) columna vertebralis; sed nec reliquis ossibus corporis parcit; pelvis quoque ossa afficit, hinc incessus deinde claudicans evadit. Mens rachiticorum praemature evolvitur: gradus morbi, faventibus adjunctis, cum incremento et evolutione corporis disparet; ast si altum gradum attigerit, curvatura columnae vertebralis, cruris, sterni et costarum, rarius universalis ossium difformitas vitam omnem comitantur.

Phthisis.

Emaciatio corporis a suppuratione cujuspiam organi inducta, vegetatione anomala comitata Phthisis appellatur, quae pro varietate organi principaliter affecti, erit varia: quarum diagnosis per praesentiam febris hecticae et symptomatum cuilibet suppurationis speciei propriorum determinatur, quae clara et facilis erit si organon suppurans in communicatione cum superficie corporis externa constituatur, uti in pulmonali, hepatica, renali, vesicali, dubia autem erit et difficilior si organon suppuratione consumendum in nulla cum superficie corporis communicatione existat, uti in mesenterica, abdominali, vomica clausa. Ast non raro et suppuratio partis minus nobilis Phthisim inducit, si illa diuturna et larga fuerit uti vulnera, ulcera, caries et abscessus imprimis lumbales.

Diversae hae Phthises enascuntur vel in sequelam inflammationis vel metastasis per dispositionem materiae cujuspiam morbosae aut puris. Inter quas Phthisis pulmonalis uti frequentissima ita omnium perniciosissima.

Phthisis pulmonalis characterisatur tussi, respiratione anomala, febri hectica et emaciatione: symptomata haec in quavis ejus forma occurrunt, non autem ejectio sputorum quam saepe in Phthisi sicca seu tuberculosa usque mortem non comparuisse, uti et sputa non semper puriformia, sed saepe per totum morbi decursum mucosa contingere constat. Est morbus omnium chronicorum frequentissimus et periculosissimus cum sexta impopulationis imprimis urbium pars eidem succumbat. Decurrit intra varium tempus saepe mensibus saepe annis imo integra vita. Sexus sequior periodo qua menstruatio decurrit,

nocivae ipsius indoli magis resistit proxime succumbendus dum anni climaterici comparuerint.

Juvabit plura morbi stadia et momenta causalia attingere ut attentionem nostram in morbum dum adhuc in evolutione constituitur, dirigere possimus. Dispositione in morbum in quovis homine praesente eminenter et facillime ii Phthisi afficiuntur, qui sic dicto habitu phthisico gaudent. Inducitur vero frequenter deuteropathice et morbi qui in Phthisim tendunt sequentes transitus observare solent. Praecedit nempe vel,

1. *Atonia pulmonum.* Debilitas et relaxatio pulmonum generat blennorrhoeam, quae sensim degenerando in ulcera ionem transit. Symptomata ejus sunt saepius recurrentes et diuturni catarrhi cum copiosa muci ejectione incedentes, vel.

2. *Phlogosis pulmonum.* Congestiones et inflammationes chronicae in pulmonibus generant indurationem vel suppurationem eorum. Symptomata: frequens, sicca tussis, dolores pungentes et urentes saepius recurrentes, inspiratio non libera, pulsus semper irritatus per motum minimum accelerandus. Tussis dolor et dispnoea augentur per exaestuantia, per motum corporis alacrem, per adstrictionem pulmonum, loquelam, risum vehementiorem, per affectus et potus spirituosos. Non raro praecedit Hoemophthisis, vel

3. *Tubercula.* Haec saepe inflammantur et suppurant. Symptomata prioribus sunt analoga: accedit quod dispnoea per certos situs augeatur et ejectio muci praeprimis mane, cui mixtí sunt glomeruli parvi caseosi, foetidi; vel

4. *Erethismus, Hipercinesia pulmonum* uti et totius organismi illis eminenter proprius qui habitu phthisico gaudent. Nempe anomalus hic status pervertendo universalem corporis nutritionem, desorganisationem pulmonum inducit. Symptomata = aucta et perversa sensibilitas, emaciatio absque causa manifesta, tussis sicca, frequens saepe spastica imo convulsiva, dolores fugaces in pectore, non raro hoemophthisis characteris spastici, nulla signa inflammationis aut febris. Saepe precurrit tabes nervosa quae dein ipsos pulmones adgrediendo, Phthisim subsequam comitem habet. Vel

5. *Consensus abdominalis.* Affectiones chronicae organorum cavi abdominis imprimis digestio et chilificatio labefactata infarctus aut physconiae hepatis, glandularum lymphaticarum,

hoemorroides, in pulmonibus ita praedispositis saepe excitant irritationem sympaticam et congestionem per quas altius evotutas ipsi pulmones adgrediuntur. Symptomata sunt: ea perversae digestionis, mucositatis, morborum hepatis aut aliorum organorum cavi abdominis, quibus simul et tussis chronica sicca vel mucosa, dispnoea, saepe emaciatio aut febris ipsa depascens nectuntur. Illustratur diagnosis et per id quod symptomata adfectionis pulmonum cum iis organorum abdominis aequaliter augeantur et aequaliter decrescant. Vel

b) *Metastases.* Suppressio hoemorroidum, catameniorum, dein Arthritis, scorbutus, herpes, syphilis, scrophulosis, ulcera chronica, secretiones habituales morbosae, porro crisis imperfecta febrium imprimis exanthematicarum, etc. saepe metastases in pulmonibus producunt per quas Phthysis generatur. Symptomata sunt: post suppressum morbum quempiam praegressum comparent, tussis, disponea non raro dolor etc.

Stadium secundum in quo Phthysis manifesta est ingruit dum febris hectica seu depascens symptomatibus suis se associat. Comparet haec initio sub forma febris continuae remittentis (raro et tantum initio febris intermittentis) initio exacerbatio vesperi solum comparet: morbo ultro decurrente duplex fit, nempe et meridie una comparet. Sputa si quae ejiciuntur, hoc stadio evadunt puriformia.

Stadium tertium in quo Phthisis consumata est notatur symptomatibus colliquationis nempe sudore matutino largo nimium debilitante, diarrhoea, exacerbatione duplici meridie et vesperi, delassatione summa cum celeri emaciatione, sputorum semper copiosiorum et foetidiorum ejectione, respiratione magis difficultata: appetitus bonus perdurat imo increscit, ita et spes vitae. Tandem comparet oedema pedum, raucedo, diarrhoea copiosior, symptomata ortopnoica gravissima, tandem mors per citam vel successivam suffocationem.

Therapia morborum horum.

Ut e praemissis patet, causalis indicatio contra peculiarem discrasiam dirigenda erit: in hac enim praedominium substantiarum proteinaeformium imperfecte evolutarum prae magis pla-

sticis imprimis fibrina fundatur: haec simul efficit ut secreta specifice immutentur quod e praedominio acidorum et salium, penuria autem urei et acidi urici concludere licet. Omni itaque studio adlaborandum est medico ut evolutionem substantiarum altius plasticarum adjuvet Efficiet autem id si attentionem in nutrimenta praecipuam direxerit, Nutrimenta sint animalia exclusis omnibus amylum tenentibus, ac in fermentationem acidam pronis. Cibi farinacei, oleracei, vegetabiles majori quantitate ingesti diathesim congenitam adaugent imo non praesentem provocant. Omnis superabundantia materiarum plasticarum irritat ventriculum, infarctus producit in systhemate lymphatico causamque praebet scrophuloseos. Digestio itaque nec non assimilatio sit cum ingestis in ratione directa: quaenam regulae hoc respectu observandae sint, omnis laicus perspectum habere deberet. Initio morbi nutritio ut a praecedentibus videre licuit nequaquam languet, imo potius adaucta dici potest. Adest enim in stadio hocce morbi status irritatus tubi intestinalis nec non vasorum lymphaticorum qui quidem specifius est, ast assimilationi potius favet quam ut obesset. Hic itaque largius nutrire nequaquam oportebit, sed nec scrupolosissimus quidem selectus ciborum adeo proderit, ac diaeta juste restricta.

Morbo ultra incrementa capiente, vasa lymphatica infarcta, glandulae meseraicae tumentes omnem nutritionis viam intercludunt; exordium sumente vel progrediente Atrophià, nutritio contrario plane modo erit administranda. Hic tempus adest ut alimenta maximam quantitatem materiarum plasticarum tenentia subministrentur adnexis simul aromatibus torporis gradui accomodatis. Ingens cohors remediorum antiscrophulosorum abunde eorum insufficientiam demonstrat adeo ut vix aliqua votis medici satisfaciant. Pleraque eorum penetrante sua ut ne dicam venenata actione organisationem pessumdant. Principalia horum sunt *antimonialia*. Praeterquod digestionem labefactent modoque subdolo agant, vix alibi nisi in Scrophulosi in systemate dermatico radicem figente quidpiam boni praestant. *Mercurialia* plane non merentur commendari. *Chloretum Barii* et *Calcii* intensa et subdola metallicorum virtute functiones organismi pessumdant. *Halogenia* recentiori tempore contra omnis generis morbos adplicita,

merentur aliquam attentionem. *Vegetabilia* ut potissimum sunt insufficientia. *Oleum iecoris aselli* ut praeparatum sodii debile considerandum sub cujus cura appetitus deletur et sic desiderium in cibos amylaceos quidem tollitur ast curam radicalem vix unquam produxit.

Restat igitur applicatio laridi et adipis ex eo eliquatae, axungiae nempe. Desumtis indicationibus in natura morbi fundatis et quidem in primo stadio advehitur organismo per laridum quidem materia organica, ast solum ad minorem evolutionis gradum evecta quae digestionem coercendo appetentiam in cibos amylaceos minuit; cum sit materia animalis mitis succi gastrici, enthericique acrimoniam mitigat, energiam vitae reproductivae moderat ut haec justo tenore procedat ac in aequilibrium constituatur. Cum in hoc stadio praeter ciborum restrictionem nulla plane exigantur medicamina ideo usus laridi hic solus sufficit.

In stadio vero secundo quo nutritio omnis languet, ubi atrophia dominium suum super organismi partes universas extollit, iterum laridum cunctis fere remediis facile palmam eripit. Organa digestionis enim hic languentia per subministrationem quorumcumque vegetabilium aut animalium substantiarum adhuc magis labefactantur, cum ut materiae hae digerantur omnino functiones digestionis intendi debeant. Laridum vero materia animalis ejus indolis est, ut quin digestione egeat a vasis absorbentibus suscipiatur in fluida corporis, adeoque etiam in sanguinem transferatur ac in diversas organismi partes deponatur.

In organismi partes susceptum insignis est fluiditatis adeo ut et hac qualitate stasibus et infarctibus opituletur: hac ratione utilitas ejus contra tubercula patet quae nunquam substantiam adiposam sed terream siccam exhibent. Lymphae specificam mutationem indolem peculialiter acrem, quae ut causa proxima a pluribus medicis scrophulosis assignatur, ex voto mitigat, corrigit. Alvi excretionem, quae sic ut reliquae functiones organismi languet, foeces lubricando leniter promovet. Nunquam hoc stadio usus externus laridi erit intermittendus imprimis si coelo sereno insolatio simul applicari poterit. Et certe haec videntur etiam causa esse quod in Hungariae partibus inferioribus ubi tum adulti, tum infantes lar-

do in et externe largissime utuntur, corpore et vestimentis adipe madentibus, radiis solaribus expositi recubent, quod immunes a scrophulosi existant, quod vicissitudines atmosphoerae repentinas impune perferant.

Nam laridum quin quod isolatorem electricitatis hac ratione applicitum constituat, impediens quominus liquidum hoc subtilissimum ex organismo egrediatur, munit etiam organismum contra iniquos influxus atmospherae: praeterea eximia sua fluiditate permeat poros cutaneos ac dein partim endosmoseos ac exosmoseos, partim vasorum absorbentium auxilio organismi partibus internis adducitur ubi defectum similium resarcitur substantiarum ac omnes supradictas exerit virtutes.

Motus muscularis et quidem expeditior in aere libero ut adjuvans inomise necessarium nunquam negligendum. Nec facile balnea salina intermitti possunt, eaque si haberi possunt marina jam frigida jam calida, posteriora adhibentur in individuis junioribus irritabilioribus nunquam tamen ultra 26-o C. In aquae marinae defectu possunt balnea salina artificialia substitui e decem partibus salis comunis ac una parte muriatis calcis composita: adhibetur vero e miscela hac pro uno balneo $1/4 - 2$ ℔. accomodando quantitatem salium magnitudini individui, ipsius vasis in quo balneum paratur ac irritabilitati cutis. In genere scrophulosis jam atrophiae proximis adeo torpida est cutis ut balnea salina concentrata manus balneantis corrugantia perferant. Quae de scrophulosi dicta haec omnia valent de Rachitide cum nil nisi scrophulosis in systemate osseo radicem figens sit. Phthisis proh dolor ad illos spectat morbos, quos insanabiles vocare consuevimus: nihilominus natura eam sanat, et revera codices medici plerique referunt exempla morbi per naturam sanati, ut adeo dubium de veritate noveri vix possit, cum recentiori imprimis aevo auscultatione t percussione diagnosis Phthiseos multum facilitata sit. Sequaiur itaque naturam in hocce opere ejus, attenti ad nutus quosis levissimos quoque, rationem habentes circumstantiarum mnium: et felix eventus non frustrabitur omnem nostrum iborem et morbum generi humano adeo infensum fors liceit seriei sanabilium adscribere. Phthisis evoluta nunquam ut ›picus semper ut universalis erit considerandus morbus, qui ›cum jam in hoc jam in illo organo, frequentissime in pulmoni-

bus deposuit: pus in universo organismo generatum in hunc derivans focum, cum devastatione principali ipsius organi eum constituentis. Remedia itaque talia etiam habebimus seligenda, quae non solum in organum ipsum, sed in universam sphaeram organismi agunt; talia in specie quae non tumultvaria fors inimíca ratione organismum ad validam reactionem concitant, sed miti modo functiones morbosas corrigunt, exorbitantes moderant, languentes suffulciunt, prostratas erigunt.

In Phthisi status irritativus imo subinflammatorius non tantum in ipso organo centrum morbi constituente sed in universo quoque organismo aperte adest: hic laridum ut obvolvens, sensibilitatem et receptivitatem in stimulos obtundens effectum exeret salutarem. Stimulum alias consuetum, in hoc morbo tamen abnormem sistit ipse aer imprimis frigidus siccus, effluviis materiarum acrium pregnans, qui non tantum per pulmones suscipitur, sed quia universa cutis aliud organon respirans est, hac quoque via hypercynesiam offendit; ideo laridum in et externe applicitum calorem corporis fovendo, oppositionem inter aerem et organismum imminuendo egregium sistit remedium. In Phthisi ut plurimum una prae aliis praedominans observatur functio. Sic in genere facultates mentis phthisicis sunt eminentes, facultas imaginandi alacris memoria fida, ideae sublimes: est ut plurimum et digestio laudabilis, appetitus bonus imo saepe voracitas usque ultimum vitae finem perstat: quin tamen materiae organicae decrementum aut emaciatio sceleton solum relinquens, vel brevi persisteret tempore: hic enim vasis absorbentibus functio adeo alacris est, ut ipsam materiam organicam resolvant, quae puri efformando ad organon suppurans advehitur. Praepondium unius functionis ut labem alterius post se trahat est necesse; in hoc morbo in specie defectum nisus formativi plastici, materiae organicae depositionem observare licet.

Laridum itaque ventriculo oblatum quin assimilatorias vires nimium intendat, materia enim organisata est, defertur in organismi partes reliquas, huc deposita penuriam supplet, alacritatem vasorum absorbentium moderat, partes emollit, demulcet, sicque votis ac indicationibus respondet. Externus usus aeque multum proficuus effectum suum eundem ac ratione eadem ut supra sub scrophulosi monui, exerit.

Non possum hic loci non commemorare usum axungiae canis quae a vulgo adhibita in Phthisi altius jam evoluta, eandem vel mitigat vel ut nonnulli perhibent plane sanat; Pharmacopoeis tamen pluribus sincere fatentibus in locum foedi hujus remedii solam genuinam recentem axungiam Porci expedire solitis. Ut adeo, ut in omni morbo sic imprimis in Phthisi, ubi imaginatio exaltata viget, Psychen certe magnam sibi partem vindicet; hujusque rationem nos semper habere debere abunde patet.

Oportet praeter laridi usum in et externum, praeter diaetae justam coordinationem etiam in constitutionem aeris atmophoerici attentionem nostram dirigere. Liquidum enim hoc non tantum ambit corpus, sed et interiora ejus viis innumerabilibus penetrat, ut adeo, et effectum síngularem in organismum exerat. Phthisicis noxius est aer asper, siccus, repentinis mutationibus obnoxius, ideo phthisicos quos non rapit autumnus, hos aufert ver: hyeme pessime valent phthisici, optime aestate. Ideo mittuntur aegri ex aspera Anglia, Germania, superiore Gallia in Italiam, cujus coelum profundius coeruleum ac alibi locorum, puritatem aurae demonstrat: repentinas mutationes non experitur atmosphoera; munitur enim a septentrione Alpibus, ab oriente Appenninis montibus adeo ut ver et aestas eterna sedem hic figerit suam. Aura tepida humidiuscula conducit pulmonibus optime. Cura Phthisis talem exposcit auram.

Methodus qua applicatur laridum varia proponitur a variis. Sumitur enim vel laridum infumatum crudum sale conditum in scrophulosi, minus salitum in Phthisi, ventriculo jejuno ad drachmas duas cum pane bene cocto non acido vel ut D. Pophen Javorinus suadet drachmae duae ventriculo jejuno sumantur laridi fricti, dein statim post, sumat aeger in jusculo carnis liquamen ab frictione laridi obtentum et post horam jentaculum consuetum, vel quod praestat coffeam ex nucibus fagineis tostis, aut glandibus Quercus, fabisve cacao neque tostis cum pane butyrato. In levioribus casibus cura spatio 4 — 6 septimanarum, in gravioribus trium mensium feliciter terminata est. Phthisicis adultis dosis ad unciam semis augetur, nec facile ultra: turbae ením digestionis felicem eventum curae impediunt: quo in casu usus laridi aliquo tem-

pore intermitti debebit, ac roborantibus amaris digestio languens suffulcienda erit. Vel in usum vocatur axungia porci adeps nempe eliquatus qui ad drachmas duas cum pane tosto non ingratam sistit medicinam. Accedat semper usus externus: et quidem quotidie mane uncia semis laridi vel axungiae infricatur universo corpori, inunctio volis manum tamdiu continuatur, donec cutis pinguedinem imbiberit. Balnea optime a meridie quarta vel quinta hora adhibentur. Motus corporis, aeris temperaturae et diaetae ea habeatur ratio quae supra exposita. Psychen inprimis in Phthisicis justa habeatur ratio: spes recuperandae sanitatis quam secus etiam usque finem vitae fovent, solerter alenda, affectus animi arcendi, imaginatio evagans, adstrictio mentis limites excedens justos moderanda, fiducia in remedium excitanda.

Praeter applicationem in his morbis non infrequens fit lardi usus in aliis quoque adfectionibus. Sic in *Peripneumonia* scopo irritabilitatem organorum et sensibilitatem organorum respirationis morbose exaltatam imminuendi, praemissa antiphlogistica methodo, in locum cataplasmatum, quae refrigerium facile inducere possent, inunctiones laridi vel axungiae instituimus in thorace. In *Cynanche* et *Isthmitide* externe applicatur collo lamina laridi vel axungia suilla illinita chartae aut linteo. In *Gastritide* et *Enteritide* quae per deglutita venena acria producta fuit, ubi haec amplius evacuari nequeunt ad vim illorum noxiam imminuendam exhibemus axungiam, laridum, quae non tantum venena vel acria involvunt, intestina obliniunt, sed etiam evacuationes horum procurant. In *Erythemate pernione, furunculis, tumoribus* in suppurationem tendentibus, si inflammatio cutis sit intensior, ita ut pars affecta tumeat, caleat et rubeat tum lamina laridi vel axungia linteo illinita applicatur. In *Exanthematibus* praesente hypererethisia ac rigiditate, pruritu, ardore inungitur axungia tepida aut frigida. In *ambustionibus* ruptis vesiculis, destructa cuti axungia recens gossypio molli excépta addita exigua quantitate sacchari saturni applicatur.

Theses.

1. Mechanica, anatomica, physiologica fabricae animalis contemplatio Epiploon pro olei secretione, secreti collectione, pro intestinorum per id lubricatione eorundemque caloris conservatione destinatum esse deprehendit.
2. Quo simplicius medicamentum eo praestantius.
3. Optimam interdum Medicinam esse Medicinam non facere; jam Hypocrates monuit; et aeque sapienter Valesius scripsit; non minoris, imo multo majoris artis esse scire quo tempore nil agendum circa aegros, quam quo agendum.
4. Videtur vis electrica intimam cum vi vitali alere necessitudinem
5. Licet in pillulis Dzondii mercurius sublimatus corrosivus praescribatur, qua talis tamen eis non inest.
6. Venae sectionem si necessaria sit, nec graviditas nec puerperium, nec senectus, nec infantilis aetas contraindicant.
7. Non tamen ideo remedium hoc heroicum in abusum trahendum.
8. Aer atmosphoericus non est mixtum chemicum.
9. Mater sana ubera infanti praebendo, nec pulchritudinis nec sanitatis quidquam patitur: hinc mater propriae proli ubera denegans et suae et infantis sanitati frequenter male consulit.